# DISPUTATIO PHYSICA
De
# MAGIA,
Quam
Annuente Magorum N. T. Ductore
ac Doctore,
Indultu Amplissimæ Facultatis
Philosophicæ,
In Inclytâ Academia Rostochiensi
Publicæ Philosophantium disquisitioni exhibent
PRÆSES
## M. BARTHOLOMÆUS Schütze/
Gryphibergâ Pomeranus
&
RESPONDENS
HEINO Meyer/ Rostochiensis
Add. XXIII. Januar. ANNO M.DC.LXIX.

ROSTOCHII,
Typis JOHANNIS KILII, Universitatis Typogr.

# PRÆFAMEN.

*Dies Magorum memoriæ sacer illuxit nuper, dies Natalis Christiano mi gentium, dies commentatione non solùm Ecclesiasticâ, sed & Scholasticâ dignissimus. Scilicet erant Magi & insignes Viri Theologi, lumine revelationis Divinæ, tum exteriori, tum interiori maximè ad stuporem usq; perfusi, & Philosophicis scientiis omnibus, præsertim Physicæ & Matheſi adunguem, excellentissimo raritudinis exemplo, imbuti. De horum origine, institutis, doctrinâ ac moribus si præfari prolixius instituti nostri ratio foret, hem! quam magnus se aperiret disserendi campus. Quin potius calamum appellere nunc lubet, ad commentandum aliquid de Magia in genere ex Physicis, cujus idem fundamentum Illi, naturam nobiscum supposuisse censendi sunt. Si verò quædam adduxerimus ultimò de Magia non naturali & illicita, nemo, ut sperabimus, eam rem nobis vitio vertet, ex lege illa Philosopborum; Opposita se mutuò explicant & illustrant. Deus adsit conatibus!*

## Sectio Prima Theorematica

## Theor. I. Nomen Magiæ primùm honestum fuit, post ignominiosum, tandem medium.

### §. 1.

ET nominum quoq; aliqua ratio interdum Philosopho est habenda. Quanquam vero cum Philosophiæ æstumatissimâ gravitate parùm convenire videtur scrupulosa & tantùm non superstitiosa Grammaticorum de vocibus concertatio; res quippe magis quàm verba spectat, & siquidem posset sine verborum involucris, animi sui patefaceret sensa; usu tamen venit Philosophiæ cultori, ut verborum interdum curam quandam, sobriam tamen & justam, agere illum oporteat maturè, quando hodie cum verbis ita comparatum est, ut usu valeant, ceu nummi, & nomina sæpenumero muniant aditum ad rerū

ipsarum feliciorem investigationem. *Oportet igitur vocis ipsius usum cognoscere, quo sæpenumero provehimur in rei cognitionem* dicente *Scalig: de subt: Exc.* 1. *s.* 1. Nos jam de Magiâ acturi, exorsa à nominis deducimus incunabulis. Ut verò suos patiuntur manes vocabula pleraq; ut ab Autoribus variis variæ ipsis assignentur originationes & significationes, ita, nescio certè, an ullum aliud prostet vocabulum, de quo minùs consentiant linguarum Artifices, quàm quidem nostrum. Enimverò vel è *latinâ linguâ* à magnitudine scientiæ vocis Etymon petitur à quibusdam, vel ex *Græcâ* aliis placet derivare, à μέγας aut μάσσω vel μάττω, quod est *subigere* cum Autore Etymologici, vel ex Hebræo idiomate natales vocis arcescuntur ab aliis, nempè à voce מעון vel à מגש. quod Rabbinis est *innuere.* Sed non attinet singulas sententias excutere hîc prolixius. *Vid. Martinius in Lex: Philol:* in hac voce, Et quivis aliàs emunctioris aliquantum judicii ultrò advertit, in istis derivandi rationibus, contorta, coacta, longius petita, vel ad minimum alludiva pleraq; tantùm esse. Magiam verò Persiæ suos debere natales, cordatiorum sententia est, quibus haud inviti accedimus. *Apud Persas illi qui in rerum Divinarum scientiâ versantur, appellantur Magi. Hoc enim Patriâ ipsorum linguâ vox Magus sonat* testante *Porphyriô* l. 4. περὶ ἀποχῆς. Idem tradunt *Hesychius in lex. Scal: Exc. 327. Beeman: in Orig: p. 693. Balduinus in Cas. conf: l. 3. c. 5.*

§. 2. In pretio itaq; antiquitus nomen Magiam profitentium & Magia ipsa fuit, nec adeo male audivit. *Nam nec quis Persarum Rex poterat esse, qui non inter Magorum disciplinam scientiam perceperat,* memorante *Cic: l. 1. de Divin.* Quænam præterea pertinuerint ad Magiam isthanc, recenset *Aretius in Probl: l. 44 p. 430.* At non perpetua fuit hæc felicitas vocabulo huic, ut retinuerit primum suum, quo cum ipsis literis & syllabis exultavit, usum, quippe successu temporis degeneravit, non suâ quadam culpâ sed hominum sceleratorum, Magiæ honesto titulo abutentium ad diabolicæ Magiæ quamcunq; collusionem, & ita in sequiorem partem id tractum nominis est. Nam cũ quidam postmodum diabolicis artibus sese dederent, fœdera cum malo Dæmone alii explicita, implicita alii inirent, & has fraudes Magiæ specioso nomine interim tegerent, factum est, ut ipsum Magiæ nomen, cognitô tantô crimine, odiosum redderetur, & frequentaretur ampliùs, non solum de iis, qui Scientiæ naturalis egregiè merebantur famam, sed &

de-

de iis, qui *diabolicis adjuti ſuggeſtionibus miranda quædam ſcire, ac patrare tum ſibi tum aliis videbantur.* Hinc *Scal: l. c.* dicit, *nomen apud vulgus odioſum feciſſe colluviem impoſtorum, propter Smerdis proditionem ac perfidiam infenſum diu.*

§. 3. Cæterùm non fuit tanta tamen hujus mali vis, ut de ſtatione avitæ ſuæ ſignificationis dejicere prorſus potuerit nomen Magiæ deterior interpretatio, ut veſtigium adhuc hæſerit potioris ſignificatûs. Enim verò, quod Magiæ nomen refertur hodie inter ea vocabula, quæ μέσα a Philologis appellantur, & utramvis in partem tum bonam, tum malam accipiuntur, illud, qua parte declinat ad meliorem, acceptum oppidò fett nativæ vocis ſignificationi. Quod tamen in deteriorem ſimul, & ferè ſæpius quàm meliorem rapitur, ejus non tam culpam præſtare tenetur quàm non tenentur vocabula *Tyrannus, Latrones, Sophiſtæ,* quorum primum ortum & uſum, rerum, quæ illis innocenter deſignabantur, pejor defœdavit uſus. *Vid. Danh. in Id. B D. p. 29.* De vocabulis ejusdem fati *vid. Gell. lib. 12. N. A. c. 9.* Uſus jam certet cum abuſu Magiæ, ſuccumbat hic, obtineat ille. Nos itaque jam, ſequeſtratô vocis abuſu, quo ſupponitur pro diabolicâ & illicitâ Magiâ, de quâ tamen *incidenter* quædam poſtea & *indirectè*; intelligimus per Magiam non tralatitiam ac ſuperficialem, ſed accuratam & exactam virium in corporibus naturalibus cognitionem, ad eventuum admirandorum prædictionem, & ſtupendorum effectuum productionem. Hinc *Philo Judæus Perſarum Magos delineaturus,* ſcribit, *quod naturæ opera ſcrutati cognoſcendæ ſtudio, per otium, Divinas virtutes clarioribus & expreſſioribus rationibus edoceantur & doceant. Si quid itaq; nobilius aut miraculo proximius in naturalibus ſcientiis aut fingi aut excogitari poteſt, id reconditioris literaturæ Viri Scientiſſimi Magiam dixerunt,* inquit, *Johan: B Port. l. 1. M. N. c. 2. Magus ergo nobis jam eſt excellentiſſimus & experientiſſimus Phyſicus,* ait *Dn. Lic. Pomarius colleg. Phyſ. gener. P. diſp. 13. §. 1.*

## Theor. II.

## Datur Magia naturalis ad Phyſicam omnino referenda.

§. 1. De Exiſtentiâ rei nos priùs ſecuros eſſe decet, antequam illius ſuſpiciamus temerè eſſentiam. Fruſtra certè ſuſcipitur tractatio τῦ διότι alicujus rei, niſi ante conſtiterit ipſum ὅτι. Cæterùm jam

non disquiritur, utrum detur Magia Dæmoniaca, ope cujus mancipia Satanæ multa mira cognoscere & facere possunt. Illam enim, proh dolor! dari omninò, quotidiana clamat experientia, cum haud desint ubique infelicissimæ sortis homines, cum diabolo vel implicitè vel explicitè colludentes, atque nefarium hoc Magiæ genus strenuè exercentes, & quidem reverâ, quicquid in contrarium sentiant, quos pro merâ phantasiâ omne, quod hujus accidit, intempestivè reputare audias nonnunquam. Nos missâ ad orcum, unde infelix caput extulit, illa Magiâ, naturalem dari magiam probamus *ex naturali eventuum quorundam prædictione, & operum mirandorum productione.* Inde Magia naturalis. Cujus fundamentum proximum & immediatum sunt qualitates corporum naturalium, quarum, quanta, Deum immortalem! varietas & efficacia! Si quis earum numerum vellet inire, maris arenas computando absolveret citiùs, quàm modum instituti inveniret. *Quàm latè formarum specificarum patet ratio, tàm latè se qualitatum diffundit ambitus*, inquit, *B. Sperling. in instit. Phys. pag. 332.* Nescit propter incredibiles qualitatum vires, otiosa delitescere natura ulla, sed maximè negotiosa in operationes varias tantùm non tota resolvitur. Supera in media, media in infima & hæc in se invicem agunt, mediantibus qualitatibus, totâ die. Ecquis est, cui non innotuit vis Astrorum in hæc sublunaria, & varia, quæ in illis relinquunt, effecta? quis non persensit ad nauseam usque elementorum qualitates & operationes exinde provenientes ipsemet? Atque harum quidem origo non obscura adeo est. Deprehendas tamen in divite Naturæ latifundio & alias qualitates, quarum origo haud cuivis, primo intuitu, perspecta est, nec cohæsio effectuum, quos producunt tamen, ad causam patet extemplo. Quæ quidem nomine veniunt qualitatum occultarum, non *simpliciter*, quis enim sic de iis unquam vel cogitasset? sed *respectivè* & in comparatione ad manifestas qualitates, quæ hominibus de trivio etiam notæ sunt, nec adeò admirationis aculeum in animis spectantium defigunt. Etsi verò hæ, quæ vocantur qualitates manifestæ, ex lege naturæ manifestâ, agunt ferè, quod agunt, ut adeò nullum aut exiguum valdè momentum conferre videantur ad magiam nostram, tamen haud prorsus nullum est, quod ex iis altiùs perspectis exsurgit stabilimentum Magiæ. *Maximum eorum, quæ de his etiam qualitatibus scimus, est minimum eorum, quæ de iis ignoramus.* Quis enim omnem naturam ignis & reliquorum

quorum elementorum ita investigando exhausit, ut non supersit, quod adhuc explere possit cognitionem hominis. Quò plus operæ verò quis posuit in intimiori qualitatum naturalium, etiam manifestarum, exploratione, & expeditâ illarum ad effectus raros applicatione, eò plus profecit ad divinioris hujus Habitus confirmationem. Licet autem hæc ita se habeant, non tamen potissimum nec omne ferunt hic punctum qualitates alioquin manifestæ. *Deducere omnia ad qualitates manifestas, summa impudentia est*, dicente *Scaligero Exerc. 218. sect. 1.* Hinc concedendæ qualitates occultæ quandoque, imo in Magia supponendæ oppido sunt, si quis fundamentum Magiæ ipsum tenere velit. Quanto quis penitius perspectas habet has, quousque per ingenii omnem contentionem licet, tanto exactius callet Magiam naturalem, & effectus inde resultantes discernit ab aliis vulgaribus. Nec sibi solum novit eventus & effectus ex efficaciâ qualitatum naturalium secuturos, sed etiam aliis, quibus non solum eos prædicere solerti quadam sagacitate potest, sed etiam pro re natâ ipsosmet efficere, & tantam admirationem in spectantium animis excitare, ut rerum ignari Deum potius vel Dæmonem, quam Naturam subesse putarint. Vide mihi ferrum in medio aere quiescere, & ad neutrum latus inclinare, non mediocri, credo, perfunderis stupore, si ne hilum quidem de magneticâ vi intercedente & sistente gravitatem ferri ad æquilibrium, cogitasti unquam, aut fando audivisti. Magia vero naturalis inveniendo causam ejus rei, quòd ferrum in medio aere pendulum quiescat, & deducendo eam ab occulta quadam qualitate magnetis, facilè Te liberabit ignorantiâ, & exinde redundante admiratione. Vid. *Fernelius lib. 2. de abdit. rerum caus. c. 2.*

§. 2. Nec interim totalis & consummata est scientia qualitatum occultarum, quam promittit Magia nostra, in quem enim mortalium, ingeniosissimum etiam ea caderet? sed aliqualis, vera tamen & certa quoque suo modo, quæ τὸ ὅτι rerum tantùm attingit, quanquam διότι prorsus non penetret. Sufficit, si ex contemplatione & applicatione qualitatum illarum potest prædicere futuros eventus, & admiranda quoque efficere interdum opera Magiæ cultor. Quò pertinent exempla, quæ huc referri in confirmationem Magiæ naturalis assolent. Sic *Plinius lib. 18. hist. Nat. cap. 28.* prodidit de *Democrito, quod primus intellexerit cæli cum terris societatem, cum ex futuro Vergiliarum ortu maxi-*

mam

*mam prævidisset olei caritatem, omne in toto tractu oleum coemerit, & quæstum exinde fecerit amplissimum, quem tamen non sibi servare sed avaris dominis reddere maluerit.* Quod *Anaxagoras Clazomenius*, referente eodem *Plinio* lib. 2. c. 58. *cælestium literarum scientiâ prædixerit, quibus diebus saxum esset casurum è sole, idque factum interdiu esse in Thraciæ parte ad Ægos flumen*, suo relinquimus loco, cum impossibile sit, cecidisse ex Sole, si cecidit, nisi forsan ita intelligendus Philosophus est, quod *ex nube* illud cecidisse dixerit, quæ conjectura est *Domini Pomarii* antea citati. Inter stupenda effecta Magiæ numeratur etiam *Machina illa Archimedis, qua triremes hostium incendisse fertur, tantasq; edidisse strages, ut illi perculsi terrore, non contra homines, sed contra Deos se pugnare dicerent.* Huc *Architæ Tarentini columba lignea, & Johannis Regiomontani Aquila & musca ferrea volatilis pertinent*, ac alia ejus generis, quæ recensentur non parvo numero à *Portâ, B. Sperlingio*, & aliis, & siquidem illa naturaliter & verè ad unum omnia, non præstigiatoriô & Dæmoniacô artificiô, quod de omnibus promiscuè dicendum haut est, gesta sunt, ecquis negabit, Magiæ naturali accepto ferenda esse? Negari interim vix potest, *quod multi multa vana, falsa & superstitiosa huic Magiæ intemeratæ adjungant, sed vitia linquenda vitiosis, & decus virtuti*, ut sapienter præcipit, *B. Sperl. in Instit. Phys. P. G. p. 367.*

§. 3. Dari Magiam naturalem ita constat; ad quamnam disciplinarum Philosophicarum pertineat, disputari adhuc potest. *Agunt de Magia Theologi, Jureconsulti, Medici, Philosophi. Et hos inter Pneumatici, Physici, Mathematici, Politici*, inquit *Sperl. in Inst Phys. p. 357.* Nos quo jure ac nomine in Physica agatur de Magia, anquirimus potissimum. Omne quicquid tractationis Physicæ est, vel causa corporis naturalis, vel affectio ejus, vel species esse perhibetur. Atqui Magia neque est causa corporis naturalis, neque affectio, neque species. E. nec est tractationis Physicæ. Verùm limitanda est major prop; Q. neque est causa C. N. neque affectio, neque *effectio, aut aliquid immediatè fluens ex affectione*, illud non est considerationis Physicæ: Sic verò N. Minor. Licet enim non sit causa C. N. neque affectio, neque species, est tamen quoddam immediatè fluens ex affectione Qualitatis. Physicæ autem est, non solum corpora naturalia, eorumque species & affectiones, sed & operationes, immediatè exinde resultantes, quatenus quidem sunt *naturales*, sollicitis computare articulis. Atque de Magiâ Theoreticâ res fortè

non

non adeò dubii juris est. De practica verò haud apparet, quomodo spectet ad Habitum theoreticum qualis est scientia naturalis. Verùm, si in Matheſi egregia non raro, absque scientiæ jacturâ, producuntur opera, quid obstat, quo minus Magia, admirandorum operum effectrix, locum suum tueri queat in Physicâ. Nec ut faciat & operetur, tractat Magiam Physica primariò, sed ut sciat & contempletur. Si verò quandoque progreditur ad operationes secundum Magiam, non *primariò*, sed *secundariò* saltem facere censenda est, quicquid hujus facit, neque in sui ipsius, sed alius gratiam; vel spectatur ita *materialiter*, prout in hoc vel illô subjectô reperitur, in quo plura concurrere possunt, quæ forte requirunt operationem Magiæ. Sic Chymicorum operationes circa metallorum transmutationem adducit suô locô Physicus, non quasi ipse semper occupatus teneatur esse in elaborando aurô vel alio præstantiori metallô, sed ostendit ex scientiæ suæ principiis, artificiosam metalli transmutationem non esse prorsus impossibilem, & si fortè ejus rei specimen dare molitur, illud quidem non scientiæ suæ, sed facultatum suarum agit periculo. Vid. *Nollius in Phys. Herm. l. 8 c. 3. p. 321. Senuert: in conf. & diß. chym. c. 2.*

## Theor. III.

## Magia naturalis est habitus, rerum abditarum scientiâ, & operum admirandorum effectione constans. Hinc Magia alia est Theoretica; Practica alia.

§. 1. Definitio hæc resolvitur in Definitum & Definitionem ipsam. Circa *Definitum Onomatologia* explicanda hîc in anteceſſum esset, nisi operâ eâ jam defuncti essemus Th. 1. Nunc igitur sine morâ procedere licet ad ipsam *Pragmatologiam*. Definitio constat genere suô & differentiâ specificâ. Genus est habitus. Non enim immediatè nobis infunditur, nec à primis unguiculis connascitur, sed per crebras contemplationes & reiteratas actiones acquiritur & perficitur Magia. Et illa quidem tria momenta, quæ ad habitum acquisitum parandum ac firmandũ concurrunt, nempe φύσις natura, μάθησις disciplina & ἄσκησις exercitatio, ita confluunt ad constitutionem Magiæ, ut, sine his si fuerit

rit, ne habitus quidem dici mereatur. Natura quidem aliquid potest sine disciplina & exercitiô, sed quàm exiguum istud est, si conferatur cum eo, quod potest natura instructa disciplinâ & exercitatione. Natura primas hic lineas ponit, quas disciplina perficit ulterius, exercitatione summam manum feliciter imponente. Exinde tandem consurgit habitus consummatus.

§. 2. Cum autem habitus naturali studiô acquisiti ne unius quidem generis sint, statuendum hic commodè est, quinam ex iis quadret ad Magiam naturalem. Et habituum ratio latè patet aliàs, illa tamen distinctio, per quam alius habitus est *simplex*, alius *compositus*, sufficere ad negotium præsens abundè potest. Præsupponimus verò, dari habitus non solum simplices, sed & compositos. Objectum unum idemque duos tamen formales considerandi modos admittere potest, & ad distinctos fines ordinari, quod idoneum satis argumentum est habitus compositi. Atque talis habitus est habitus Theoretico-Practicus; Non enim Theoria & Praxis tam extremè dissident naturis, ut plane nequeant in unum coalescere habitum: Diversa quidem sunt, at non omni modo opposita. Unus idemque habitus potest esse theoreticus & practicus, quod patet exemplô Philosophiæ, quæ definitur in genere Habitus constans theoriâ & praxi. Et talis quoque habitus est Magia; Nam non solum eminet abditarum rerum naturalium, scientiâ, sed mirandorum operum effectione quoque gloriatur. Nec tamen eâ parte, quâ contemplatur, operatur operatione propriè dictâ & Theoriæ contradistinctâ, nec eâ, qua operatur, contemplatur. Distinctio quippè, quam parit diversa habitudo formalis ad idem objectum, ne in statu quidem compositionis perit, sed sarta tecta imposterum perstat nihilominus. Cùm verò diversam istam formalem considerandi rationem requirat omnino Magia, ut quâdam sui parte contemplabilis sit, quâdam operabilis, & eâ, quâ contemplabilis, non operabilis, nec, quâ operabilis, contemplabilis, ipsa natura rei necessitatem nobis imponit, habitum compositû ei assignandi.

§. 3. Enimverò hoc genus adæquatum est, ita, ut strictius minimè sit Definitô suô, quod aliàs vitium est, cautè evitandum, in formandis definitionibus, juxta Logicorum præcepta. Si verò hic substituatur scientia, vitium contrahet subitò Definitio, quippè quæ non exhaurit omnem latitudinem illius, quod continetur sub Magiâ, sub

qua

quâ haud minus contineri practicam, quam Theoreticam in confesso est. Ad utramque igitur oculus mentis prius est intendendus illi, qui conceptum genericum adæquatum Magiæ præsumit dare. Atque hoc quod exinde resultat, verum ejus genus est, Habitus nempe compositus ex Theoria & Praxi.

§. 4. Differentia specifica, per quam ultimatò constituitur & ab aliis habitibus quibusvis distinguitur Magia, nunc indaganda oportunè. Quæ autem est aliorum habituum ratio, ut differentiam eorum objecta propria constituant, à quibus etiam esse ipsum specificum habituum dependet, ea quoque Magiæ est, ut determinetur per objectum suum proprium & distinguatur ab aliis Objectum autem hìc intelligitur, non tam quoad materiale, quod habitibus inter se commune fere est, sed maximè quoad formale, quod gignit diversus considerandi modus. Diversus considerandi modus autem fundamentum in re ipsa agnoscere debet, nisi aliàs pro falso & nullo haberi velit. Atque tale quidem objectum hîc deprehendimus, quod est geminum, non re ipsâ & materialiter, sed considerandi modo, & formaliter. Objectum sunt res abditæ & opera admiranda. Non tamen res abditæ hîc intelliguntur, nisi in sphæra corporis naturalis, alia, quæ supra naturam abdita hominibus momenta sunt, ut plura sunt de Deo, de Spiritibus, de futuris merè contingentibus, penetrare minùs valet. Sicut nec per miranda opera hìc indigitantur miranda illa ordinaria opera Dei, quatenus sunt Dei, in mundo varia, admiratione omni tantùm non majora, nec extraordinaria, quæ sunt veri nominis miracula, à nullâ aliâ nisi potentiâ infinita per se patranda; Nec intenduntur hîc mira opera Dæmonum, quæ vel per se, vel per Magos suos efficiunt, sive vera sint, sive fucata & præstigiatoria. *Nam quæ passim de Dæmonum miris operibus dicuntur ac scribuntur, nec omnia esse falsa, vana, fucata, simulata, præstigiatoria, nec omnia vera & talia, qualia videntur, sed quædam vera, quædam apparentia tantùm, quædam ex utrisque mixta*, judiciosè pronunciat *Jesuita Scottus in Phys. Curios p.* 49. Sed hæc, quæcunque sint non spectant huc, nisi indirectè forsan; Directè Magia naturalis considerat res abditas & opera miranda, ad corporis naturalis hæmisphærium spectantia, unde etiam naturalis dicitur, quia partim circa objectum naturale versatur, partim vi & modo operandi naturali circa illud versatur, ex corporum naturalium, stellarum, Elementorum,

rum, Effluviorum, Mineralium, Plantarum, animalium naturis & viribus delitescentibus arcana indagando & inveniendo, taliaque opera naturali ope, quam ars & experientia facilitavit, producendo, quæ rerum ignaris miraculosa & prodigia videntur. Talia opera Magiæ naturalis sunt, quando faces sive candeles formantur per aliquot secula ardentes, ut videre *in Roma subterranea est* libro pluribus exemplis hoc demonstrante.

§. 4. Cum igitur Magia naturalis & Theoriâ & praxi conjunctim sumptis absolvatur, ultro se offert illa, quam in theoremate mox subjungimus, divisio, quod alia sit Theoretica, alia Practica. Quæ tamen divisio non est strictè sic dicta divisio Totius essentialis in partes Essentiales. Nec enim Magia est corpus aliquod naturale, quod in formam & materiam, tanquam Actum & Potentiam, distribui queat; sed analogicè sic dicta divisio est, vel partitio totius integralis in partes integrantes. Quales autem sunt partes integrantes, tale quoque est Totum. Scilicet partes hîc non univocè sumuntur pro partibus quantitativis & extensivis strictè sic dictis, tales quippe non agnoscit Totum, nisi illud, quod constat ex materiâ & formâ; Sed analogicè hîc partes intelliguntur, Toti proportionatæ & intensivæ, hoc sensu, ut una non sit alia, sed ista extra illam posita. Tales partes integrantes sunt Scientia & Ars. Per illam res abditas Magia scrutatur, non ut sint & maneant abditæ, sed ut subtiliter, colligendo unum ex alio eruantur & manifestentur è naturæ visceribus. Scilicet ex operationibus æstimantur qualitates, ex qualitatibus formæ, ex formis ipsæ rerum essentiæ. Quæ pars aliàs *Divinatrix* vocari solet, sicut altera *Thaumaturgica*, ubi è rerum qualitatibus occultis vel etiam manifestis altiùs perspectis suoque loco, modo & tempore applicatis mira perficiuntur effecta. Vid. *B. Sperl. in Inst. Phys. p. 360.*

## THEOR. IV.

## Magia Dæmoniaca à naturali exactè distinguenda est.

§. 1. De divisione Magiæ in Naturalem & Dæmoniacam primò omnium notandum est, quod ea adducatur in Physicis, non ex professo, quod dicitur, sed ex oppositio saltem, quatenus opposita juxta

juxta se posita magis elucescunt. Docet vile separare à pretioso, falsum à vero, Magicum Dæmoniacum à Magico naturali Magia nostra. Physica enim, quæ est Mater & radix Magiæ dijudicat, quid ferre valeant naturæ vires, quid ferre recusent. Illa prolem suam genuinam agnoscit & decenter exosculatur, repudiatô interim supposititiô Magiæ Dæmoniacæ fœtu, quem intrudere ausu infrunitô latagit in naturæ scenam Cacodæmon ille, & per alumnos suos pandit, tribus potissimum malis artibus, quæ insigniuntur ab illis, qui aliquid contra eas consignarunt literis, his nominibus, ut vocentur *Divinatoria*, *Præstigiatoria*, & *Effectoria*. Mille aliàs imò plures fallendi viæ sunt spiritui huic facile pessimo, mille nocendi hominibus modi, adeo, ut ipse Proteus nesciat se in tot formas vertere, in quot ille quotidie se vertit fallaciarum species. Hinc quis disputando singulas scelerati capitis persequatur artes? neque attinet de iis hîc agere, nisi de tribus istis, quas ex Præstantissimi Commatis scriptoribus dedimus, tantùm ad institutum nostrum.

§. 2. *Magia Dæmoniaca Divinatoria* est rerum abditarum, ope Dæmonis, parta cognitio & prædictio. Magna omnino sagacitas ingenii est Spiritui huic, quam perficit quotidianâ animadversione rerum, quæ in Naturâ geruntur in singula momenta. Nec tamen omnia novit, non cogitationes hominum, nisi quas de proprio inspirat & suggerit homini, aut ad quas hominis naturam corruptam ex assiduo peccandi habitu aut ex aliis signis non nisi propendere omnibus horis advertit, nec futura meræ contingentia, ubi nullus inter causam & effectum apparet ipsi nexus; Quanquam negari non possit, ipsum è collatione præteritorum cum præsentibus, haud pauca probabiliter colligere posse etiam de futuris contingentibus, in filiis præsertim incredulitatis, ubi facile potest esse eorum prædictor, quorum futurus est Autor; In rebus tamen naturalibus, ubi necessaria est inter causam & effectum cohæsio, non falla plerumque est Spiritus callidissimi scientia, positô naturali causarum influxu & non impeditô. Atque de hac scientiâ suâ communicat fidelibus suis assectis, variis mediis & modis, de quibus prolixè agit *Peucerus in lib. de Divinat.* Ex quo potissima tantùm decerpemus. Agmen ducit θεομαντεία complectens vaticinia ea, quæ obsessi a Dæmonibus vel afflati concitatione mentis edebant & & quasi fundebant, vel rapti extra sese ex Dæmonum aspiratione.

ne. Ἱερομαντεία erat hostiarum immolandarum ante & post mactationem consideratio & de Numinum favore facta Divinatio. Cui proximè accedebat πυρομαντεία, quæ erat flammæ victimæ jam ardentis consideratio in eundem finem. Καπνομαντεία item, quæ fiebat à fumo; λιβανομαντεία quæ fiebat ex incenso thure; Οἰνομαντεία quæ fiebat ex vino consecrato; ἰχθυομαντεία ducebatur ex piscium dissectorum consideratione; Ἀνθρωπομαντεία ex viscerum humanorum inspectione; Ὀρνιθομαντεία ex avium observatione, unde auspicia & auguria. Ὀνειρομαντεία quâ ex somniis diabolicis divinabant: λεκανομαντεία quâ lancinis aureis vel argenteis in pelvim aquâ repletam dejectis, Dæmonem advocabant, qui ex aqua illa ad quæsita respondebat. Κατοπτρομαντεία quâ divinabant ex nitidis tersisque speculis, in quibus apparebant rerum quæsitarum imagines, cujus speciei etiam erant χρυσταλλομαντεία & δακτυλιομαντεία, κοσκινομαντεία, quâ ad res ignotas manifestandas cribrô utebantur nominaque suspectorum ordine recitabant, atque sic culpæ reum agnoscebant. Cæteras Magiæ species exequitur *Peucerus* l. c. & ex eo *Wierus lib. de Præst. Dæmon. c. 11.* Inter quas maximè Totô orbe pene frequentata fuit illa, quâ Dæmon per Oracula responsa dabat suis, de rebus abditis & futuris. Qualia Oracula imprimis celebria fuerunt, Dodonæum, Jovis Hammonis & alia, de quibus *Scottus in Phys. curiosa*, p. 165. non inutilia tradit. Et hæc quidem hactenus eum in finem, ut inclarescceret, quàm Totô cælô distet à Magiâ Dæmoniacâ & omnibus iis, quæ pertinent ad eam, nostra, quæ salutatur naturalis.

§. 3. *Præstigiatoria* autem *Magiâ Dæmoniaca* meras spirat præstigias, & producit vel producere potius videtur admiranda opera Autoris sui. Scilicet mendaciorum ille quorumvis Princeps Architectus præstringit oculos auresq; hominum sæpius, ut mira tunc se videre & audire existiment, licet mera ludibria sint. Alios item sensus humanos aliàs, variâ objectâ imagine fallit, nec quicquam in se omnino desiderare patitur, quod pertineat ad ingentis præstigiatoris personam egregiè tuendam. Neq; per se conatur omnia ipsemet, sed per suos, quos in operationis & fœderis societatem ascivit, Magos quandoq;. Tribûs autem potissimum modis per Manuarios suos conficit negotium, quemadmodum docet *Molina prim. part. Sum. Thom. quæst.*

3. Art. 4.

3. *Art.* 4. & ex eo *Schottus Phyſ: C. p. 55.* videlicet vel *mutandò objectum*, vel *aerem intermedium*, *vel organum ſenſus.* Quando horum quoddam habet in ſua poteſtate, miros exhibet luſus & præſtigias. Huc certâ ratione ſpectat Magia Ægyptiacorum, vivos ſerpentes, ad imitationem miraculi Divini per Moſem deſignati, in medium proferentium. Quanquam enim nolimus aſſerere cum *Joſepho lib. 2. Antiq. Juſtino lib. Reſp. ad Q. Orth. Reſp* ad quæſt. 26. *Bonfrerio in cap. 7. Exodi ſimulatos illos fuiſſe Magorum ſerpentes & Magicâ artificiâ, ad ſpectantium oculos illudendum, confictos*, tamen nec pronunciare audemus, ſerpentes illos, operâ Magorum & Magiæ Dæmoniacæ verè fuiſſe effectos, quod defendere tamen ſtudet *Schottus in Phy: C. p. 59.* ſecutus *Delrium in diſq. Mag. l. 2. Q. 6.* Rationum, quibus uterq; ſententiam ſtaruminat ex natura, hæc eſt ſumma: *Quod hæc animalia ſint inſecta, & ex numero imperfectorum, quæ Diabolus brevi tempore ex virgis putrefactis potuerit producere; Neq; id ſuperare vires ejus, nam quod Sol ſuo calor multis diebus efficeret, id illum poſſe exiguò tempore, applicandò activa, quæ novit ad hoc efficatiora.* Verum *hæc ſententia repugnat omnino ſanioris Philoſophiæ placitis*, ſecus quam judicat in præcedentibus *Delrio.* Falſum eſt, ex materiâ putri poſſe produci ſubſtantiam ope Dæmonis, tum ex parte principii agentis, cum ne pediculum quidem nec ſubſtantiam ullam producere de novo ullus ſpiritus finitus poſſit; Tum ex parte objecti, quod ſupponitur hîc putris materia virgarum Ægyptiacarum. Sit ita; putredo verò eſt accidens; Accidens nunquam dat ſubſtantiam ex ſe, neq; miniſtrat materiam ſatis aptam putredo in virgis, ex qua ſolâ producatur corpus naturale. Et ad corruptionem magis facit effectivè putrefactio, quàm ut concurrat ad generationem animalis vivi. Veros igitur & naturales largimur hîc ſubfuiſſe ſerpentes cum *Auguſtino, Theodoreto, Lyrano*, verùm à Diabolo aliunde ſubreptos, vel in ſeminibus, vel in ipſis corporibus jam prefectis, & celeritate, quâ pollet maximâ, eò tranſportatos, ut præſtigiæ fuerint ita, non tàm in objecto, ſiquidem fuêre veri ſerpentes, ſicut Moſis, quàm in modo & origine præſentandi, qui fuit Præſtigiatorius Dæmoniacus. Alia præſtigiatoriæ Magiæ exempla recenſentur ab aliis. Pauca, memorabilia tamen addimus. *Johannes Trithemius in Chron: Hirſaug:* ex Antiquioribus refert, *tempore Ludovici Imperatoris, Sedechiam quendam Judæum ſtupenda coram Principibus viru fecisſe. Videbatur enim hominibus*

*devorare*

*devorare Hoplomachum equitem, currum onustum sanè cum equis & auriga deglutire, amputare capita, manus & pedes, quæ statim, hominibus illæsis, suo quæq; restituebat loco. Thomas Fazellus dec. prim. rerum Sic l. 3. c. 1.* mira refert *de quodam Diodoro. Is namq; potenti carminum suorum vi homines in bruta animantia omniumq; fermè rerum formas in novas Metamorphoses transfundere videbatur,* & quæ non? Quæ de *Fausto Mago* famoso memorantur, omnibus obvia sunt, nec tamen quæ de eo circumferuntur, certæ adeò sunt fidei singula. Videatur interim *Camerari. Cent. 1. hor. sub: cap: 70. Wierus de præst. c. 4. l. 2.*

§. 4. Cæterùm non tantum præstigiis mortalium fatigat oculos & animos, sed etiam alio loco & tempore, ex Divino permissu, vel per se vel per ministros, objicit ipsis vera ac realia effecta Dæmon. Hinc *Magia Effectoria Dæmoniaca* est productio operum admirandorum realium, ope mali genii facta. Enim verò sicut rerum naturalium cognitionem habent non exiguam illi spiritus, ità virium sat quoq; habent realiter efficiendi ea, quæ non superant activitatem potentiæ creatæ. Multa autem possunt in naturalibus, per applicationem Activorum cum Passivis, hoc est, per causarum naturalium ad invicem applicationem ac moderationem, quam mirandi sæpe consequuntur effectus. Nunquam tamen opera illa naturæ cancellos egrediuntur, sed naturalia tantum sunt respectu ipsarum causarum, quas applicat Dæmon saltem, in tempore, convenientibus subjectis, quibus agentibus, Diaboli opera plerumq; ferè nihil confert applicando, præter conditionem, sine quâ effectus, qui producitur, pro nunc non produceretur. Sic diaboli possunt ignem de superiori aeris parte dejicere instar fulminis, & multa perdere ac consumere; Non quod ignem hunc è concavo lunæ demittant (nullus enim inibi est, ut hic bene sentit Shottus Phys. C. p. 51.) sed quod cogendo atomos igneas brevi temporis punctô applicent confestim Activa Passivis, fulgura post se relinquentes cum fragore tantum non horrendo. Non minori negotiô ventos turbulentos excitare possunt in aere, imo excitant quandoq; eos in mari, collidendo aerem inter se vehementissimè, aut ventum alibi spirantem eò adducendo tum per se tum per Magos suos, quod quidem de *Finnis, Lappis & Biarmis* narrat *Olaus Magnus l. 1. c. 1. l. 3. c. 18. illos ope Dæmonis ventos facere, & navigantibus, quos optent, vendere.* Alia effecta jam non adduco. Patet ex his satis, quid distent æra lupinis,

quid

quid Magia naturalis à Dæmoniacâ. Exempla tamen quorundam operum mirandorum adhuc addemus, per porisma ta ostensuri, ad quamnam referenda sint Magiam, ad quam secus.

## SECTIO SECUNDA PORISMATICA

### PORISM. I.

### Magia naturalis fuit, per quam multiplicavit fœturam ovium suarum Jacob, quanquam hîc benedictio Divina, & extraordinarii aliquid non excludatur sed includatur.

Specimen insigne Magiæ naturalis est, quod designasse legimus *Jacobum Gen.* 30. ut augeret numerum ovium maculis aspersarum, quas pro labore pactus cum *Labano*, sibi debebat capere imposterum. Scilicet assumebat virgas, easque sagaci consiliô, albô nigrôve interstincta colore in cortice prius, in canalibus statuebat, è quibus aquam haurientes, congrediebantur interim in fœturæ, coloribus variegatæ, certissimam spem oves. Bonum factum! haud fefellit Autorem institutum. Oves coitum ineundo, & oculos in virgas inusitatas defigendo, simul cum aquâ, earum imagines admittebant intimiùs in conceptionis articulo; Evenit postmodum, ut quos enitterentur fœtus, diversè colorati, & passim candida vellera pullis infuscarentur maculis. Non disputabimus, utrum hæc in fraudem facta sint Labani, cum certum sit, mercedem debitam laborum suorum, ex conventione cessisse Jacobo has oves, maculis variis notatas; Nec disquiremus, utrum benedictio Divina singularis plura hîc contulerit, quàm alio tempore & locô, si quis hoc imitatus fuerit; Hoc facilè largiemur, si modò res ipsa, quam hîc naturali ratione putamus, nobis non negetur, naturam in hoc negotio etiam partes suas egisse aliquas. Phantasia nimirum multum potest, ut in aliis rebus, ita imprimis in conceptione ac conformatione animalis. Non enim tantùm agere, secundariâ quamvis & indirectâ actione in proprium corpus potest, movendo appetitum, ut hic moveat locomotivam, & ab hac rursus moveantur & excitentur varii Spiritus & humores, cum mutatione nunc hâc nunc illâ corporis; Sed etiam in alienum corpus agere interdum potis est, formatricem potentiam turbando & seducendo, ut secundum species & Ideas com-

 muni-

municatas & naturaliter cognitas, & in ipsa conformatione & conceptione modo hoc modo illud imprimatur, & hinc miris modis formati quandoque prodeant fœtus. Hunc fere in modum res se habet cum ovibus his Jacobi. Oves in congressu videntes virgas versicolores, fortiter sibi earum impresserunt species, quæ species repræsentatæ tenaciùs phantasiæ, moverunt è vestigio appetitum, appetitus spiritus animales, spiritus animales sanguinem aut semen & in hoc potentiam formatricem, ut secundum species & ideas illas baculorum variegatorum opus suum hæc determinaret maculis ejusdem speciei, ut repræsentabantur in virgis. Est itaque quædam Sympathia ac singularis connexio in operando inter objecti qualitatem & subjecti assimilationem, ob quam Sympathiam potentia generativa matris sese phantasiæ, cæcô quodam quasi naturæ ductu & impetu, quoad potest, conformat, ut postmodum ob Ministros spiritus ac humores matris in corporis quadam parte, & maximè ob vim formatricem in semine & peculiarem coordinationem phantasiæ ad illam partem, quam durante conceptione tangit, effigiet variè, ad imaginationem, fœtum suum. Conf. *Franc. Vallesi de Sac. Phil. cap. 11. Sperling. de Form. hom. in utero c. 5. Q. 3.*

## POR. II.

## Magiæ naturali non est adscribenda unguenti armarii, quod ita vocatur, & pulveris Sympathetici curatio.

Mira sunt, quæ prædicant de hoc unguento, quod ab aliis *armarium*, ab aliis *Hoplocrisma*, à *Crollio* vero *Unguentum Sympatheticum* seu *Stellatum Paracelsi* vocatur. Tantam enim ei adscribunt virtutem, ut contendant, *per aliquot millaria, ad ipsa decem aut duodecim etiam* quod refert *Wittichius, absentu vulnus posse curari, quamvis vulneri non applicetur, sed telo tantum, aut rei alii, sanguine vulnerati commaculatæ inungatur, atq; in linteolo mundo locoq; tepido ab omni frigore & vento remoto servetur.* Omnino, nomine Autoris & Inventoris ejus primi, qui fertur *Paracelsus* esse, saltem audito, cura hujus unguenti statim redditur, nimium quantum, suspecta. *Paracelsus* enim ille est, qui Magicis & superstitiosis suis dogmatibus jam dudum meruit nomen Fautoris Magiæ illicitæ. Vid. *Thom. Erastus ex Conr. Gesn. ad calcem Disp. de Medicina Nova Balduinus l. 3. Cas. Conf. cap. 5.* Porro negotium totum cum unguento hoc, sicut & cum pulvere, quem *Monachum quendam ex Indiâ reducem*

*reducem primùm proposuisse* fatetur *Digbæus* mox citandus, ita comparatum est, ut utrumque inhibeat assensum Cordatiorum, & ad veritatis trutinam examinatum, suspicionem alicujus monstri firmiorem de se concitet. Impræsentiarùm vero rem de pulvere Sympathetico comprehendemus breviter ex *Digbæo*, qui novissimè pulverem jactatum tractatu pecul. interpolavit, additâ non obscurâ significatione, quantum ei tribuat. *Sit aliquis graviter vulneratus absens, sumatur linteum aspersum sanguine vulnerati, vel alia res quæ ad manum est, ponatur in medio pollubrium aquâ plenum, pugillus pulveris vitrioli in aqua dissolvatur, cum linteo deinceps uniatur, quod extractum ad luculentum ignem exsiccetur, in aquam denuò immergatur, & curatio vulneris sequetur, pulvere ipsi vulneri maximè haut applicato*, quod experimento sufficienti se probasse ita in *Hovvelio*, *Duci de Bouquanigan Secretario* testatur prædictus *Digbæus*. Verum enim verò, quis singula accuratiùs examinans, credat, sanationem vulnerati productam esse ab eo, quod nullo contactu neq; substantiali, neq; virtuali, munus curandi vulnus, peregit? posito rem ita evenisse, ut narrat Autor, fortè ab alio principio evenit, quocunq; etiam, si evênit ejusmodi sanatio; Multa quippe cum re quâdam possunt esse conjuncta, quæ tamen effectus alicujus determinati non statim sunt causa. Et cohæret saltem lintei ejusmodi tractatio & vulneris sanatio accidentaliter, ut antecedens & consequens, non verò necessariò ut causa & effectus. Si autem curatio hæc exigatur ad principium istud physicum; *Omne agens agit per contactum in patiens*, oppido apparebit, quid de eâ sentiendum sit. Enim verò nullus intercedere hîc potest contactus neq; substantialis, neq; virtualis. Non *substantialis & immediatus*, quod patet, quia vulneratus distare ponitur à remedio illo per complura spatia. Neq; contactus *virtualis* hîc datur, ad quem pleriq; confugiunt quidem, sed invitâ veritate. Nam si contactus talis admittendus esset, sequeretur illum effici, aut per effluvia, aut per qualitates occultas intentionales. Non effluvia, quæ *Digbæus* hic in partes vocat, negotium conficere queunt, quia impossibile est, tantam effluviorum copiam è pauxillo pulveris provenire posse, etsi in atomos abiret prorsus, ac tantam intercapedinem superare. Neq; certâ viâ & ordine moveri possunt atomi, quæ egredi finguntur ex pulvere, ad vulnus usque, cum ad aeris motum modô huc modò illuc pellantur, ut adeo vires suas in vulnere experiri nequeant. Non qualitates etiam expedire difficultatem queunt, quippe eas egredi ex illo medio, queì

 probabi-

probabitur? Et si vel maximè probatum id esset, unde constaret? eas tantum posse transire spatium, & ibi agere, cum aliàs omnis qualitas determinatam activitatis suæ habeat sphæram. Alios, qui alias vias excogitarunt inventum hoc salvandi, deducentes ab Astris promotionem hujus sanationis, studiô præterimus. Illud saltem addimus, quòd circumstantiæ necessariò in hoc negotio adhibendæ, in natura non adeò fundari videantur. Sic circumstantia est *aspersio alienæ rei quàm læsæ*, cum potius vulneri, quod sanandum est, applicandus pulvis sit, quam alienæ rei, curatione nullâ indigenti. Circumstantia est, *Mense Julio exponendum vitriolum, quod concurrit ad constitutionem pulveris, Soli esse, & numerationem interim 360 horarum ineundam esse*, cum equidem *Quantitatis nulla sit efficatia*, nec in Mense Julio plus arcani quàm in alio adhanc rem supersit. Plura vid. apud *Dn. M. Rentschium, Disp. Phys. de Heteriatriâ.*

## Por. III.

## Magia naturalis non potest homines mutare in lupos, feles &c. sed si quid hujus accidere videtur, præstigiis Satanæ est adscribendum.

Etsi verò Diabolus, quâ est potentiâ, multa verè patrare potest facinora, tum per se, tum per Magos suos, tamen longè plura restant, in quibus realiter producendis deficit turpiter Spiritus validissimi potentia. Talia adducit *Wierus* non exiguô numerô *l. 1. de Præst. Dæm. c. 13.* Ne tamen impotentia ipsius detegatur, in autoritatis suæ præsens discrimen apud suos, ad consvetas artes secedit veterator, & quæ verè efficere nescit, præstigiis tantum non supplet, ut, cui credula in auribus & oculis mens est, juraret penè, serio illum aliquid egisse. Quod ipsum compertum quoque est in Quæstione de hominum Metamorphosi in lupos. Non solum autem Venefici prodiderunt sæpius, se verè perpessos esse illam, sed Autores etiam passim ingentem ejusmodi exemplorum farraginem, ad memoriam nostram reliquerunt. Ut dicamus nihil de *Sociis Ulyssu in varias animantium formas à Circe Magâ mutatu*; Eruditi enim norunt, quid de ea mutatione habendum; adducimus alia, sed è multis pauca. *Varro* tradit apud *Augustinum lib. 18. de Civ. Dei. c. 17. de stagno quodam Scythiæ, quod homines tranando, transfigurabantur in lupos.* Ipse *Augustinus* narrat *l. c. suo tempore in Italiâ fuisse mulieres stabularias, quæ viatoribus caseum dabant veneficiis infectum*

quô-

*quô sumptô, illi in jumenta vertebantur, & onera portabant.* Olaus Magnus l. 18. c. 45. & 47, refert in *Prussia, Livonia, Lithvania frequens esse, ut homines Magicis artificiis, sub noctem Festi Nativ. Christi, in lupos transfigurentur, mirâ feritate mox in homines & Jumenta sævientes.* Neq; semper sine medio fecisse hoc visus mancipiis suis est Dæmon, sed mediô interdum adhibitô, sicut prolixè commemorat *Wierus de quodam, quem Satan exutum nudum, linimentô inunxerit, unde se hic in lupum verè mutatum autumabat l. 6. de Præst. c. 11.* Præstigiæ Magicæ sunt, quas heîc suo more venditat impostor. Excedit vires Dæmonis longissimè transmutatio realis diversarum specierũ, quæ naturæ finitæ prorsus impossibilis est. Non reverâ igitur Diabolus hominem in lupum aut aliud brutum convertit ,,sed fortibûs saltem impressionibûs phantasiam suorum dementat, ut credant firmiter, se bruta esse, cum veri interim maneant homines. Neq; animam humanam à corpore suo solutam ad tempus, cum corpore lupino essentialiter componere potest, neque corpus lupi idoneum est sustinere informationem animæ humanæ: Alia forma aliam requirit materiam, axioma Physicum est. Obij. in contrarium confessio propria Magorum: verùm ea, cum non sit salvi judicij & integri, sed variis Diabolicis phantasmatis imprægnati & corrupti, vel parum vel nihil probat. Urgentur etiam vulnera, quæ sagæ verè accepisse dicuntur aliquando, cum lupi aut alia animantia transmutata à Satana essent. Equidem non negamus, Dæmonem Magis suis posse aeream circumdare effigiem beluæ, & circumdare quandoq; fortè, membra phantastica humanis ita circumponendô, caput capiti, pedes pedibus &c. aliaq; quæ ad beluinam effigiem necessaria sunt, supplere, ut veræ bestiæ quoad extetnam speciem videantur tum sibi ipsis, tum aliis; Num tamen *hic modus sit frequentior*, pro explorato pronunciare cum *Schotto Phys. Cur: p. 94.* haud audemus. Quando tamen, posito hoc unionis extrinsecæ statu, membra ferina ex aere conglomerata à Diabolo, contigit vulnerari penetrantiùs, mirum non est, humana etiam membra, quibus ferina circumdata erant, postmodum verè sauciata reperiri, quia illa tunc ictum reapse experiuntur, cedente facilè circumjectô aere. Aliquando tamen Diabolus, qui homicida est, & ipse Magorum corpora sauciare, merito creditur, iis membris, quæ in phantastico corpore ipsis sauciata persvaserat, *ut in errore confirmet miseros*, quemadmodum haud inepte conjectat *B. Sperl. in Inst. Phys. p. 384.* Conf. *B. Bald. Cas. cons. l. 3. 5. cas. 8.*

## Unguentum illud, quô se præparant ad conventicula sua frequentanda Sagæ, ut nonnunquam verè ac realiter iis etiam intersint, referri meretur non ad Magiam naturalem & licitam, sed Dæmoniacam & illicitam.

Utrum prostibula Satanæ realiter ac verè devehantur ad loca à Satana destinata, insidentes baculis aut furcis unguentô certô illitis, quæstio certè magni momenti & altioris eo indaginis est. Non autem prolixius discutiemus eam hîc, neq; quidem hoc nostri fori est directè, sed vel tangemus saltem. Cæterum status quæstionis non est, utrum semper verè & quoad substantiam personæ suæ, deferantur ad Sabbatha sua detestanda Sagæ, adeò, ut nullô unquam locô & tempore phantastica hîc intercurrat illusio Diaboli. Negandum enim hîc non est, quòd Diabolus hominum sensibus sæpenumero fucum faciat, & phantasmata eorum ita regat, ut in locis à se desideratis esse videantur, *corpore interim domi relictô, quod umbrâ suâ cooperit* Diabolus, ut graviter inquit *B. Bald. l: antea citat.* Nec quæritur, utrum anima Sagarum, quoad substantiam abrepta extra corpus præsens sistatur à Diabolo alibi, reunienda deinceps ejusdem operâ, cum corpore. Nam tale factum dissolutionis animæ & illi correspondentis reunitionis ejusdem cum eodem naturæ finitæ simpliciter impossibile est, cum Soli Deo, ut jus solvendi, ita & reuniendi vinculum animæ cum corpore competat. Neq; quæritur de tempore & loco præcisè, utrum nullo alio tempore, quam Calendis Maji, neq; ad ullum unquam locum, quàm ad montem Bructerorum vulgo Blocksberg, deportentur ad Sympo sia sua Magiæ incantatricis cultores, & quidem omnes ex omnibus orbis angulis simul. Licet enim summæ agilitatis spiritui illud difficile haut sit, & procul dubio cum quibusdam etiam illo loco ac tempore ita fiat, nú tamen exinde sequitur, illum idem peragere cum omnibus omnium locorum, unô noctis articulô? quasi desit in vicinià vel alibi mons, ad quem possit deferre Amasias suas realiter, ita tamen, ut fortissimâ quâdam vi ipsis imprimat, hunc eundem esse montem, quem nobilitavit jamdiu, inter vulgus, Sagarum visitatio. Hoc tandem in quæstione est, utrumne aliquando verè & realiter, tum quoad corpus tum quoad animam, deferri possint

sint à Satana ad congregationes suas Sagæ, imò deferantur etiam interdum. De potentiâ quis dubitet? cum potentiam hanc suam impudentissimus Nebulo probare ausus sit in ipso Christo, ducendô eum verè in sublime, permissione Divinâ, & mox super Pinnaculum Templi, mox super montem excelsum valdè statuendô. Quod autem actu ipso læpe transtulerit Sagas idem Spiritus, testantur exempla tum vetera tum recentiora. His annumerandum, quod *Bodinus* refert *l. 2. Dæmonoman. c. 4. de Magâ quadam Lochiana, quæ cum sæpius noctu abesset à viro, & in suspitionem libidinis veniret, hic necem interminatus fœminæ est, nisi indicaret, quò proficisceretur. Illa sibi à periculo metuens, rem ut erat confessa est: Atque ut videas rem ita se habere,* (pergit ad Maritum) *si volueris, eodem venies. Tunc tradidit ei unguentum, quô se uterq; inunxerunt, & pronunciatis aliquot vocibûs, Diabolus eos in Arenarias Burdegalenses exportavit.* Simile quid *Lugduni* quoq; contigisse idem *l. c.* addit: *Mulier quædam surrexit de nocte, accendit lucem, arreptâ pyride inunxit sese, & pœt voces aliquot elata est. Hos ritus fieri observans Mœchus, qui cum eâ cubaverat, cum, muliere non amplius inventâ, solam unguenti pyxidem reperisset, curioso animô exploraturus, quid unguentum posset, fecit, prout fieri animadverterat. Ita statim elatus, comperit se cum Magorum cœtu esse in agro Lothringiæ, & consternatus est.* Alia citare nunc quidem non vacat. Vid. *Delrius l. 2. Disp. Mag. Q. 16.* & qui ex eo plura compilavit *Schottus Phys. Cur. p. 70.* Cum quibus etiam exemplis consentiunt recentiorum Sagarum plerarumq; confessiones propriæ, quibus fidem omnibus derogare, quis præsumat? Quis enim nisi prorsus refractarius sibi persuadeat, Sagas omnes, quæ similia de se & aliis enuntiant, & omnes illos, qui vigilantes & nihil tale volentes eò delati fuere, per imaginationem meram, à Diabolo perpetuò esse falsos & deceptos? Unguentum tamen istud, quod ex Diaboli suggestione adhibuisse dicuntur sagæ, ad procurandam translationem, ex se & naturali quâdam vi in hunc effectum transportationis realis influere non potest, sed verò Diabolus ipse omnes tantum non sustinet partes. Nam ex quacunq; materia etiam istud confectum sit, *ex variis autem rebus, maximè ex unguine necatorum infantum* (horrendum dictu!) *Sagas id conficere solere, Schottus l. c.* scribit; Obviæ tamen, ut puto, omnibus res veritatis est, nullam hic esse proportionem & connexionem inter effectum & causam prorsus. Pro formâ itaq;, quod dicitur, solùm hoc unguentum ipsis injungere videtur Dæmon, & cum posset sine unguento illas transferre,

ferrè, copiosius vult hoc adhiberi, ut quamplurimos infantes perimant Sagæ, opinantes, sinè illo ad conventum se deferri non posse. Plura in hac fœcunda materiâ quæ præter opinionem jam sub manibus crevit, addere nunc non licet. Tantùm.

SOLI DEO GLORIA!

Magiæ Dæmoniacæ Autori Ignominia!

*Ad Præstantissimum* DOMINUM

HEINONEM MEYER/

Humanitatis & Juris Utriusq; Studiosissimum

Amicum dilectum

RESPONSURUM

de

MAGIA.

SIc dum sanctorum meditantur templa Magorum
Gaudia, Philosophus tu cupis esse Magus
Sit felix! & ceu cessit feliciter illis
Sic, quoq; sit felix quod meditaris opus!

Augustus Varenius D.

*ABdita Naturæ pandit, lustratq; Magia*
*Atq; Sophos claros mira patrare docet.*
*Egregiè prodis, quid distent fanda nefandis,*
*Præstigias Satanæ noscere quidq; juvet.*
*Pergè viam cœptam. Duro non cede labori*
*Sic tandem Patriæ proderis atque Tibi.*

Boni ominis E. s.

M. Hermannus Becker / P. P.

ABdita Naturæ scrutari mente sagaci
Ingenii res est, *Fautor honore*, Tui.
Succedant ausus primi feliciter, opto,
Et veniant studio præmia certa tuo.

*Boni omnis Causâ apponebam properè*

M. Bartholomæus Schütze/
Gryhibergâ Pomeranus.

****